JAUMANN

Jaumann, de supinis linguae lat.

Jaumann, A.

Jaumann, A.

1830

ACTUS SOLLEMNES

IN GYMNASIO REGIO

MONACENSI NOVO

A. D. IX. CAL. SEPTEMBR. MDCCCXXX RITE HABENDOS

INDICIT

ANTONIUS JAUMANN,

Gymnasii Professor.

Praemittitur commentati

De supinis linguae latinae.

Monachii in libraria scholarum regia.

Non ita multum temporis abhinc praeterit, ex quo complures quibus pueri liberalibus artibus erudiendi traduntur singularem prorsus operam partibus quibusdam linguae latinae accuratius disquirendis causisque earum altius repetendis navarunt. Quod studium magnam partem ea re excitatum, quod, quum grammatica linguae graecae his nostris diebus a viris doctis ad satis altum perfectionis gradum evecta esset, in grammatica linguae lat. tractanda relinqui turpe esse multi senserunt, eo majori laude dignum est, quo plura inde commoda non solum in artes ingenuas sed etiam in varias aliarum disciplinarum partes emanant. Namque hac opera et variis linguae latinae partibus antea obscurioribus lux clarior allata est, ita ut facilius, distinctius minimoque temporis impendio tradi possint, quod si sapias nequaquam spreveris, et affinitas illa, quae linguae latinae cum aliis quibusdam intercedit, tam gravibus argumentis confirmata est, ut in dubium amplius vocari nequeat. Quare ejusmodi disquisitiones quasi suo jure magnum sibi momentum vindicant, quod ad historiam generis humani illustrandam aliquid certe conferunt. Neque tamen omnes linguae latinae partes pari modo aeque sollertem curam expertas esse contendes, libenterque, si verum profiteri volueris, multas accuratiore investigatione adhuc indigere concedes. Quare cum etiam nunc tam late campus pateat, in quo maxima cum utilitate vires experiri possis, non ab re esse duximus, partem linguae latinae, quam *supina* vocant, tractandam nobis proponere. Qua materia sumta ne in reprehensiones incurramus nobis timendum esse non putamus, cum omnes qui rem accuratius perpenderint mecum haud dubie faciant, grammatices cognitionem quasi fundamentum esse, quo reliquae omnes artium liberalium partes nitantur.*) Supina autem ideo tractanda nobis proposuimus, quod vix ulla grammatices latinae pars inveniri potest, de cujus natura plures eaeque diversiores sententiae circumferantur, quodque

*) Quinct. Inst. Orat. I. 4. (Ed. Bip. p. 28) Ne quis igitur tanquam parva fastidiat grammatices elementa: non quia magnae sit operae, consonantes a vocalibus discernere, ipsasque eas in semivocalium numerum mutarumque partiri; sed quia interiora velut sacri hujus adeuntibus apparebit multa rerum subtilitas, quae non modo acuere ingenia puerilia sed exercere altissimam quoque eruditionem ac scientiam possit.

magnum illud certamen inter grammaticos exortum nondum, quod sciam, ad finem adductum est. Nimirum cum supina neque in lingua graeca neque in recentioribus habeant, quod iis, si formam solam respexeris, respondeat, grammatici inde a saeculo XVI. inter se certare coeperunt, ad quamnam partem orationis necessariam ea referenda essent. Namque supina per se partem orationis necessariam non efficere, ex ea re poteris conjicere, quod ea alioquin etiam in omnibus linguis excultioribus adesse oporteret, cum quaevis lingua eodem plane munere, ut quod mente conceptum sit verbis enunciet, fungatur. Quare non facile quisquam invenietur, qui supina alii cuidam parti orationis necessariae subjicienda esse neget; de ea re tantum quaestio adhuc moveri solet, utrum supina ad *nomen* an ad *verbum* referenda sint. Quod utraque modo sententia examinata utra utri praeferenda sit apparebit, haec via ineunda nobis visa est, ut propositis quae in priorem sententiam dicta sunt, quid nos sentiamus paullo copiosius explicemus.

Supina in nominibus ponenda esse, Priscianum VIII, 9, 47 (Ed. Kr. I, pag. 395.)*) secuti Vossius Anal. III, 11. 12. Constr. 54. Ursinus I, p. 634. Perizonius ad Sanct. Min. III, 9 (I. p. 655 ed. Bauer.) aliique contenderunt; quin etiam nostris temporibus Zumptius in gramm. linguae lat. c. 83, 1. (668.) Ramshornius §. 170. et Grotefendus §. 226 eandem fere doctrinam proponunt.

Quam sententiam ut confirmarent ostendere conati sunt, supina, uti omnino nullam earum rerum quae verbi sint propriae servent, ita omnibus quas in nomine substantivo possis requirere satis fecisse. Namque supina nec tempus, nec modos nec personas significare, neque posse ex ea re, quod casum regant, ea in verbis ponenda esse erui, cum etiam alia substantiva verbalia casum verbi regant: contra ea non solum cum substantivis componi, sed etiam a praepositionibus pendere, quin adjectiva ipsa non raro adsciscere, quae quidem omnia nominis substantivi sint. Huc accedere testimonium Prisciani, auctoris nequaquam spernendi. Quae quidem argumenta omnia quantum momenti habeant ex his quae dicturi sumus, facile intelliges.

Quod dicunt, supina pro verbis haberi non posse, quod nec modos nec tempus nec personas significent, ea re qui huic sententiae patrocinantur in errorem inducti

---

*) Virgilius in IV. Aeneidos: Venatum Aeneas unaque miserrima Dido in nemus ire parant i. e. ad venandum. Idem in nono: Si fortuna permittitis uti, quaesitum Aenean et moenia Pallantea i. e. ad quaerendum. Videtur tamen hoc quoque quasi ipsius rei esse accusativus, et sine praepositione proferri ..... Sequens vero forma, quae in *u* terminat, ablativus mihi videtur ipsius nominis, quo ipsa res significatur, carens similiter praepositione.

sunt, quod definitioni illi verborum ex his notis sumtae (Sanct. Min. I. 12. p. 90: „verbum est vox particeps numeri personalis cum tempore") aequo majorem fidem habebant. Res enim multo aliter se habet. Namque haec definitio ex natura verbi, unde debebat, non sumta est, ideoque non in omnia verba quadrat. Namque infinitivus ille, quem vocant actionis durantis, e. gr. scribere, nec tempus nec personas, nec modos significat, et quis est, qui eum verbi partem esse neget. Verba impersonalia omnes personas in se non admittunt, neque tamen quisquam ea ex verbis movenda esse censebit. Quare nos in verbi notione summa nihil aliud inesse statuimus, quam ut condicionem (Zustand) i. e. fieri aliquid, vel agere aliquem, significet. Tum demum, quum ratio illa triplex: quis agat, quo tempore, quove modo, habetur, illas tres notas personae, temporis et modi, accedere necesse est. (cf. Reinbeck Handbuch d. Sprachwissenschaft etc. I. Bd. §. 136. Rudd. I. 204. Bauer. ad Sanct. Min. I. 91.) — Quae cum ita sint, ex defectu personarum, temporum, modorum, quem in supinis adesse etiam nos libenter profitemur, nemo supina ex numero verborum removenda esse eruet, dummodo notio illa, quam verbi naturam efficere supra diximus, adsit. Quam etiam in supinis adesse, cum adhuc negaverit nemo, hic probare superfluum duximus, praesertim quod infra de hac re redibit sermo.

Quid quod supinum prius casum verbi regit? Nonne hoc ipsum plane ostendit, supina parti cuidam verbi subjicienda esse, cum natura rei munusque quod casus obeunt evincant a nomine substantivo genitivum modo pendere posse, reliquos casus obliquos autem omnes a verbo aliave orationis parte regi. cf. Zumpt. l. c. ed. Kiefer c. 69. B. p. 83. Thiersch. Gr. l. gr. §. 275. Reinbeck. l. c. I. §. 119—122.

At, dixeris fortasse, etiam alia substantiva verbalia casum verbi regunt; e. gr. *dativum:* Cic. de legg. I, 15, 42. *Justitia est obtemperatio scriptis legibus institutisque populorum.* Alios hujus generis locos possumus quidem proferre ex nube illa exemplorum, quae Voss. Constr. c. 8. Anal. III. 9. Rudd. II. 239. Ramsh. §. 116. A. I. 1. Zumpt. c. 84, 10 (681) collegerunt; sed cum omnes eadem, qua hic noster, natura sint, ideoque etiam idem de illis valeat, plures afferre supersedemus atque lectores ad eos quos laudavimus auctores amandamus. Hunc vero locum si accuratius examinaveris, nequaquam ad Graecismum, ut Görenzius ad h. l. aliique voluerunt, tibi confugiendum esse invenies, cum dativus non a substantivo: „*obtemperatio*", sed a sensu totius enuntiationis pendeat, ideoque merus dativus commodi quem vocant sit. Qua in explicatione consentientem habemus V. D. Kritzium ad Sall. Cat. 32, 1.

Pari modo etiam in illis locis, in quibus accusativus ad substantivum verbale a verbo *ire* vel composito descendens appositus est, e. gr. C. B. G. I. 5 *domum reditionis*

spes (alios locos habes apud Ramsh. §. 154. p. 258) non magis ab hoc substant. pendet, quam quum ad verba *ire*, *redire*, aliaque hujuscemodi appositus est. Namque hi accusativi omnes locum motu assequendum indicant, ideoque et ipsi quidem, ut objectum remotius a verbo pendere putandi sunt; verum enim vero cum actio his expressa non directe in accusativum quendam transeat, quod in supino usu venire inter omnes constat, nihil agunt, qui ista aut similia proferant. Quare tantum illi loci, in quibus substantivum verbale accusativum ita regit, ut directe ab eo pendeat, aliquid probare possunt. Cujus generis exempla haec sunt: *Plaut. Amph.* 1, 3, 4. *Quid tibi hanc curatio rem est?* *Asin.* 5, 2, 70. *Quid tibi huc receptio ad te est meum virum?* Aul. 3, 39. *Quid tibi nos, mendice homo, tactio est?* Truc. 2, 7, 62. *Quid tibi hanc aditio est? quid tibi hanc notio est, inquam Amicam meam?*

Hi loci tum demum supina pro nominibus substant. habenda esse probarent, si substantiva illa verbalia pari modo uti supina apud omnes omnino auctores casum verbi regerent. Jam vero cum apud Plautum unum cum regimine verbi exstent, scriptores autem reliqui Latinorum ad unum omnes supinum cum casu verbi, substantiva verbalia autem cum genitivo conjungant: merito inde concludes, horum atque illorum naturam longe aliam esse. Huc accedit, quod, si quid roboris huic argumento inesse volueris, locos afferas necesse erit, quibus substantiva verbalia in *us* casum verbi regunt, cum omnibus notum sit, inter haec atque illa discrimen maximum intercedere. Nimirum subst. verbal. in *io* quoad significationem proxime ad infinitivi illam summam notionem apud Ciceronem ipsum accedunt cf. Görenz. ad Cic. Acadd. II. 57, qua ex re etiam structurae illius apud Plautum genus explicari posse censeo. At cum substant. verb. in *us* neque apud veteres neque apud recentiores auctores latinos unquam hoc structurae genus admittant, neque, ut eorum significatio evincit, admittere possint; ad hanc causam, quae in quaestione est, discernendam loci qui proferuntur nihil valent.

Quibus cum sententiae illi supina quae verbi sint non servare, satis superque obviam itum sit, restat, ut supina minime in nominis subst. naturam abisse probemus. Hic autem ante omnia nobis notandus est error eorum, qui, ut supina nomina esse probarent, nubem exemplorum collegerunt, in quibus praeter formam supino similem nihil, quod supini sit, adest, cum res omnes substantivum verum adesse indicent. In quibus si supinum agnoveris, non poteris quin supinum utrumque vel saltem posterius in *u* vere nomen subst. esse concedas. Sed natura rei postulat, ut regula constituatur, ex qua quid supinum sit, quid non sit, possit dijudicari. Haec autem tantum ex natura nominis subst. atque verbi, neque ex forma sola, ut adversarii nostri fecerunt, hauriri potest. Jam vero vis omnis nom. subst. in eo sita est, ut *rem*, *qualitatem*, *substantiam*; verbi

autem, ut *condicionem* aliquam sive activam sive passivam significet, uti supra docuimus. Itaque etiam nos in omnibus locis illis, in quibus formis supino similibus vis illa substantivi inest, quod vel praepositione adjectivoque additis licet videre, nomen subst. libenter agnoscimus, ita tamen ut supinum adesse negemus; in illis locis autem, ubi formae supini etiam summa illa verbi notio inest, supinum vere adesse, eique nec praepositionem neque adjectivum addi posse contendimus. Quare in exemplis illis, quae proferunt Voss. Anal. III, 11. Sanct. I. 660. Budd. II. 259 (83) haec et iis similia ex numero supinorum movenda et substantivis addenda esse censemus: Quinct. VIII. 3. Verba etiam ipso auditu acerba. A. Gell. XVIII, 11. Voces neque dictu profatuque ipso tetraeque aut insuaves. XII, 4 Eos versus assiduo memoratu dignos puto. Plin. XX. 5. Caepae sativae olfactu ipso caligini medentur. Tac. Hist. IV. 70, 5. copias recenti lectu auctas. Liv. 37, 40. eodem armatu. Stat. Theb. IX. 593. longo defessa redibit Venatu. etc. Locos, in quibus formae supino similes in plurali inveniuntur, afferre supersedemus, quippe quae non a supinis sed a substantivis quartae in *us* descendant. Ad id modo, verum si volueris invenire, animum attendas velim, quanto hae formae, quum substantiva sunt, sensu ipso a supinis differant. Sic v. gr. in loco illo supra cit. *auditu*, cum pronomen additum sit, nomen substant. esse profitemur; sed etiam sensus vocabuli in illo loco alius non est, nisi: „*Gehör*", cui notioni adjectivum vel pronomen, vel praepositio recte addi potest; at cum dixeris: *res auditu jucunda*, „*angenehm zu hören*" frustra labores addere ausus adjectivum vel aliquam aliam orationis partem, cum supinum adsit. Qua in re verum assecutus est Valla eleg. I. 29.*) Cujus sententiae accessit Baner. ad Sanct. Min. I. 662. B.

Neque gravius momentum argumento illi inest, quod ex junctura orationis repetitur. Sic Sanct. Min. I. 663. loco illi Plin. VII. 1. Parvum dictu sed immensum aestimatione, subjicit: „Si dictu supinum est, etiam aestimatione supinum erit." Nos quidem ipsi etiam l. c. dictu supinum esse affirmamus, quin absurdum illud: tum etiam aestimatione supinum erit, inde sequi concedamus. Namque hoc sequi si voles, antea constituere debes, ubique tantum membra ejusdem generis sibi respondere posse. Quod multo aliter se habere, quivis linguae lat. paullum gnarior sibi persuasum habebit. Namque sexcenta possumus proferre exempla, in quibus e. gr. adjectivis genitivi vel abla-

*) Si nomina forent casus abl. certe alii casus non deessent..... Quando sunt nomina, significant sensus corporis, conjunguntur cum adjectivis, regunt casus, reguntur etiam a verbo et participio subserviente quoque praepositione. — Haec omnia absunt a supino, si quidem supinum non *rem*, non *substantiam*, non *qualitatem*, sed *actionem* seu potius *passionem* verbi significat.

tivi qualitatis aut plane aliae orationis partes respondeant. Sall. Jug. I. 1. 64, 1. 92, 4. 109, 4. sanctus vir et ex sententia ambobus.

Quae cum ita sint, testimonio Prisciani VIII. 9, 47 (ed. Kr. p. 395) non multum tribuendum erit. Modus enim ipse dicendi verbo illo *videtur* addito satis declarat, Priscianum, quid de natura supinorum constitueret, incertum haesisse, neque ipsum sibi constitisse. Alio enim loco VIII. 9, 44 (ed. Kr. p. 392 *) ad rectum propius eum accessisse apparet. Quo magis admirandum est, grammaticos tam longe a via recta aberrare potuisse, ut *videtur* illud pluris aestimandum esse putarent, quam enuntiationem illam: infiniti tamen vice funguntur. Quid quod Priscianus ipse VIII. 9, 48 (396 **) supina latina in infinitivum graecum vertit? Si supina vere subst. verbalia essent, quid eum impedisset, quo minus etiam in lingua graeca substant. uteretur, cum etiam apud Graecos exstet *παράκλησις*, et substant. verb. Graecorum in *σις* eadem qua Latinorum in *io* natura sint. Denique ut concedam, Priscianum haud dubie supina pro nom. subst. habuisse, tamen si auctoritati tantum tribuis, alium licet proferre auctorem, qui uti doctrina ita veri investigandi studio Priscianum non modo aequat sed longe superat, nimirum Quinctilianum. Is autem Inst. Orat. I. 4 (Ed. Bip. 33) dicit: Quid quod multa verba non totum declinationis ordinem ferunt? Quaedam etiam mutantur, ut fero in praeterito; quaedam tertiae demum personae figura dicuntur, ut licet, piget; quaedam simile quoddam patiuntur, vocabulis in adverbium transeuntibus, nam ut *noctu* et *diu* ita *dictu* et *factu*. *Sunt enim haec quoque verba participialia quidem, non tamen qualia dicto factoque.* Quod testimonium eo gravius omnique respectu dignius est, quo plures iique doctissimi viri supina ita verbi partes esse concedunt, ut posterius in *u* eximant et pro nomine substant. habendum censeant, ut nuperrime fecerunt Krebsius (Anleitung zum Übersetzen a. d. D. ins L. §. 505.) et Herzogius ad Sall. Cat. 36, 3.

Quodsi supina pro nominibus, uti demonstratum est, habenda non sunt, quippe quorum longe alia natura sit, neque alia quaequam orationis pars cui annumerari possint exstet praeter verbum, cujus et significationem et regimen servant: sententia eorum qui supina pro parte quadam verbi habent amplectenda erit, quae sola ad

---

*) Gerundia quoque vel participialia, cum participiorum vel nominum videantur habere casus obliquos, nec tempora significent, quod alienum est a verbo, legendi, legendo, legendum, lectum, lectu, *infiniti vice tamen funguntur*, quod solet apud Graecos articulis conjungi. —

**) Sicut autem supra docuimus, communem habent significationem ab activis vel communibus nata, ut oratum *πρὸς τὸ παρακαλεῖν καὶ πρὸς τὸ παρακαλεῖσθαι;* oratu *ἀπὸ τοῦ παρακαλεῖν, καὶ ἀπὸ τοῦ παρακαλεῖσθαι.* —

omnes res supini proprias declarandas sufficit. Jam vero cum neque in lingua graeca neque in quaquam alia recentiorum propriam supini formam invenias, indeque recte concludere possis, modum quem vocant verbi singularem supinis non effici, id agendum erit, ut, ad quemnam verbi modum supina referenda sint, doceamus. Quare ad infinitivum nos supina ita referenda censemus, ut ea pro alia tantum et fortasse antiquissima forma infinitivi ipsius habenda sint, cujus utpote longius patentis munera quaedam in accusativo et ablativo ea qua Romae literae florebant aetate obierint. Quam sententiam nostram ut in luce clariori proponamus, res altius nobis repetenda erit.

Quod supina infinitivo sujicienda esse diximus, hoc de infinitivo quem vocant praesentis seu rectius actionis durantis dictum velim. Hujus infinitivi autem, quum per se positus est, vis ea est, ut notam aliquam verbo significatam, quam alii modi de subjecto quacunque ratione praedicant, solam per se quasi ut substantivum exhibeat, v. gr. *dicere, τὸ μανθάνειν, das Lernen*; qua forma indicatur fieri aliquid, quin declaretur, quis aliquid faciat aut perpetiatur. Quae summa verbi notio, infinitivi vera vis, naturam verbi simul et nominis sequitur, nam et casum verbi regit, et ipsa in variis vocabulorum structuris in omnibus casibus poni potest. (cf. Bauer. ad Sanct. Min. I, 590.) Reinbeck. l. c. I, §. 80, 99. Hic usus infinitivi cum natura ejus ipsa nitatur, tum in linguis aliis, quas vocant orientalibus (cf. in specie de lingua sanscritica Bopp. über d. Conjugationssystem der Sanskritsprache p. 38 u. 112*), tum in graeca atque latina invenitur; attamen in graeca multo longius patet, nimirum articulo subserviente quivis casus, quin in forma infinitivi aliquid immutetur, indicari potest. In lingua latina autem, quamvis ei articulus desit, tamen et ipsa infinitivum omnibus casibus poni posse ex hisce locis intelliges:

Nom. Hor. Carm. IV, 1. nec spes nec certare juvat.
— Epist. I, 41. virtus est vitium fugere.
Cic. Attic. XIII, 28. Cum vivere ipsum turpe sit nobis.
— Parad. III, 1. Peccare licet nemini.

---

*) Sobald der eigentliche Charakter des Infinit. richtig aufgefasst worden, kann kein wesentlicher Unterschied zwischen diesem und dem Gerundium und Supinum mehr gemacht werden. Ersterer ist ein nomen indeclinabile, letztere sind declinabilia und stimmen ausserdem noch in sofern mit dem indischen und arabischen Infinitiv überein, als sie wie diese unter derselben Form aktivische und passivische Bedeutung haben können, gleich allen abstrakten Nennwörtern, und als an ihnen keine besondere Zeitbestimmungen angedeutet werden.

Genit. Cic. p. Quinct. 16. Eadem te hora consilia cepisse, hominis propinqui fortunas funditus evertere.

C. Nep. Lys. 3, 1. Iniit consilia reges Lac. tollere.

Virg. Ecl. X, 32. Soli cantare periti Arcades.

Dat. Ovid. Her. I, 109. Nec mihi sunt vires, inimicos pellere tectis.

Sall. Cat. 20, 17. Et vos servire magis quam imperare parati estis.

Hor. A. p. 204. Tibia ... Adspirare et adesse choris erat utilis.

Acc. Sall. Cat. 10, 4. Avaritia superbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere edocuit.

Virg. Aen. V, 248. Argenti magnum dat ferre talentum.

Plaut. Bacch. 4, 3, 18. Parasitus modo venerat aurum petere.

Abl. Plaut. Epid. 5, 11, 55. Ego sum defessus reperire, vos defessi quaerere.

A. Gell. VII, 17. digna quaeri tractarique.

Numerum pluralem non desiderabis, si infinitivo vim notionis summae verbi inesse reputaveris, quae, sicuti nomina abstracta aut collectiva, pluralem non admittit. Reinb. l. c. I, 99. 100. Not. 1.

Quamvis igitur infinitivus ille in *re* substantivi munera per omnes casus, ut haec exempla probant, obeat, tamen infitias ire non poteris, hunc infinitivi usum nequaqum ea locorum multitudine firmatum esse, ut pro regula haberi possit. Romani enim, sicuti in omni vita quaecunque agebant maxima cum cura et diligentia agebant, ita etiam, quod mente conceperant, definite eloqui studebant. Quare cum articulo, quo varios infinitivi casus significarent, carerent, neque praepositiones infinitivo addere possent, quin formam immutarent: factum est, ut pro infinitivo formae quae jam externa specie casum indicarent, gerundia et supina quae vocant, succederent. Quonam vero tempore hoc factum sit, cum literarum monumenta ex ultima antiquitate non exstent, constitui non potest, neque est, quod tempus anxie requiras; ad id modo animum attendas velim, linguas alias quoque v. gr. originis germanicae hac in re eandem legem secutas esse. cf. Bopp. l. c. p. 133. *) Quemnam vero locum infinitivi supina et gerundia sibi vindicent,

*) Wenn das durch den Accus. zu bezeichnende Verhältniss an dem (germanischen) Infinitiv durch eine Praeposition ausgedrückt wird, so tritt derselbe aus seinem Verhältnisse zu dem Zeitworte heraus, und steht blos mit der ihm vorgesetzten Präposition in Beziehung, und nimmt daher auch die Endung an, welche dieselbe regiert. *To* und *ze* oder *zi* regieren im Angelsächsischen und Fränkischen einen Dativ, und mit dieser Endung steht nach ihnen stets der Dativ...... Im Gothischen bleibt der Inf. nach der Präp. *du* unverändert.

quamvis ex terminatione ipsa jam appareat, ex locis, quos posituri sumus, si cum superioribus contuleris, magis elucescet.

Gen. Cic. p. Mil. 16. Quis ignorat, maximam illecebram esse *peccandi* impunitatis spem.

Sen. Clem. I, 16. Equum non crebris verberibus exterret *domandi* peritus magister.

Dat. Liv. 26, 36. Ut nec triumviri *accipiundo* nec scribae *referundo* sufficerent.

Plin. 31, 6. Aqua bituminata aut nitrosa utilis est *bibendo*.

Acc. Cic. Att. 15, 8. Aliquid crastinus dies ad *cogitandum* nobis de ea re dabit.

Sall. Jug. 28, 2. nisi regnum ipsumque *deditum* venissent.

Cic. Tusc. 2, 16. *Ferre* laborem consuetudo docet.

Abl. Cic. off. I, 30. Hominis mens *discendo* alitur et *cogitando*.

Liv. 9, 43. nihil usquam *dictu* dignum ausi .... inducias pacti sunt.

Ex quibus colligere licet, nominativum solum infinitivi formae illi in *re* relictum esse, genitivum et dativum a gerundiis occupatos, ablativum et accusativum autem variis infinitivi formis attributos esse, ita ut haec exempla quae modo proposuimus pro norma haberi possint, ad quam omnis oratio, in qua summa illa verbi notio (i. e. infin.) adest, componi debeat. Quodsi vero loci inveniuntur, in quibus infinitivus ille in alio praeter nominativum et accusativum casu positus sit, id quod apud poëtas tantum et eos fere scriptores, qui nimis antiquitati student, usu venire constat: hoc noli pro graecismo habere; qua in re etiam Ramsh. falsus est §. 168. not. 1 (p. 423.), sed infinitivum in jura natalitia restitutum esse putes, nisi forte per syllepsin res explicari potest. cf. Bauer. ad Sanct. Min. I, 640. Rudd. II, 225. Bentley. ad Horat. Sat. 2, 3, 313. Carm. I, 1, 5. Heindorf. ad Horat. Sat. 1, 4, 12. Operae pretium est hic observare, Graecos articulum in enuntiationibus ejusmodi, in quibus Latinis quoque infinitivus in *re* usitatus est, articulum omisisse, utpote in quibus vis substantivi per se appareat, rarissime autem in iis, quibus Latini motione aliqua in fine verbi facta substantivi vicem gerere hancce formam indicant cf. Matthiä Gr. gr. §. 542 (p. 518). Quibus praemissis cum de supinis tantum nobis agendum proposuerimus, omissis quae de gerundiis in universum afferri possint, nobis demonstrandum erit de utroque, num in eum infinitivi locum quo ea posuimus, vere succedant, tum quamnam vim, quod accusativi et ablativi vices magnam saltem partem gerant, habeant, denique unde haec quam tenent forma iis indita sit.

De supino priori seu supino in um.

Cum de supino priori in specie agentes eam quam nobis proposuimus viam ingressuri simus, ante omnia nobis ostendendum erit, supinum illud et significationem et regimen infinitivi servare. Jam vero in omnibus quae proferri possunt exemplis summa illa infinitivi notio tam clare elucet, ut nunquam in dubium vocata sit. In tribus tantum locis aliqui vim mere passivam sibi deprehendisse visi sunt, nimirum Plaut. Aul. 3, 3, 9. A. Gell. III, 2. Mart. XI. 8. Sed etiam in his locis vis activa in summa illa notione inesse, si rem accuratius examinaveris, intelliges. cf. Ramsh. §. 170. Voss. Anal. III. 11. Sanct. Min. I, 563.

Supina priora porro casum verbi regere ideoque vere verbi partem aliquam esse, multis probare non opus est, cum exemplorum nubem colligere cuilibet facile sit; pauca tantum cum his quae verba regunt casibus addamus, quae omnium instar esse possunt. Virg. Aen. II, 786. Aut Grajis servitum matribus ibo. Liv. III, 25. Legati ab Roma venerunt questum injurias et ex foedere res repetitum. C. B. G. VII, 66. Romanos usu rerum necessariarum et dignitate spoliatum iri. — Plura qui desideret adeat. Rudd. II, 239.

Quare cum supinum prius et significationem et regimen infinitivi, ut paucis ostendimus, servet, ideoque quin infinitivi forma quaedam sit, nihil impediat, tamen investigatione paullo longiore opus esse videtur, ut hoc supinum vere accusativi munus quoddam neque tamen universum obire appareat. In hac re autem, si quid videmus, a natura accusativi tantum, pro quo hoc supinum habendum esse docuimus, recte ordiri poteris.

Accusativus igitur casus objecti est, in quod actio verbo significata directe transit, quare etiam fere ubique a verbis trans. pendet, quae vim suam eo ipso regimine manifestant. Jam vero infinitivum illum quem vocant actionis durantis, cum vicem gerat substantivi, uti supra docuimus, a verbis trans. eodem modo, quo substantiva ipsa pendere posse, ut e natura rei sequitur ita etiam usu ubique comprobatur. Namque v. gr. in loco illo Sall. Cat. 10, 4. *Avaritia superbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere edocuit*; quis est, quin, infinitivos eodem modo, quo cetera illa nomina substantiva a verbo *edocuit* pendere, ideoque accusativos, quos vocant, objecti propioris esse, intelligat. Cui usui Latinorum etiam usus in lingua gr. ex omni parte respondet. Xen. Anab. I, 2, 27. *Σύννεσις μὲν ἔδωκε Κύρῳ χρήματα πολλὰ εἰς τὴν στρατιὰν, Κῦρος δ' ἐκείνῳ δῶρα, ἃ νομίζεται παρὰ βασιλεῖ τίμια, ἵππον χρυσοχάλινον … καὶ τὴν χώραν μηκέτι ἁρπάζεσθαι, τὰ δὲ ἡρπασμένα, ἤν που ἐγτυγ-*

χάνωσιν, ἀπολαμβάνειν. Nonne etiam in hoc loco a verbo *ἔδωκε* infinitivi *ἁρπάζεσθαι* et *ἀπολαμβάνειν* ita ut accusativi nominum *δῶρα, ἵππον κ. τ. λ.* pendent? Quare id memoria teneas velim, in eiusmodi constructione, qualis haec est, in qua verbum a verbo ita pendeat, ut objectum propius sit, aliam praeter hanc infinitivi formam in *re* non admitti.

Sed multo longius accusativi vis patet; namque non solum objectum propius in accusativo ponitur, *sed etiam quilibet finis sive sensibus subjectus sive mente tantum conceptus, ad quem actio verbi contendit.* Ut libenter hunc finem temporibus posteris praepositionibus ut in lingua vernacula expressum esse concedimus, ita minime nobis persuadere possumus, hanc vim praepositioni inesse, sed praepositionem multo magis ad hanc vim magis declarandam additam esse putamus. cf. Thiersch. Gr. gr. §. 240, 8. et §. 195, 1. Hanc vim accusativo per se inesse ex natura ejus ipsa sequitur et linguis aliis comprobatur. Namque v. gr. etiam in lingua sanscritica a verbis *movendi* accusativus pendet. *) Hoc idem etiam de linguis graeca et latina valere liceat nobis pluribus exemplis monstrare, praesertim cum huic argumento omnis nostra de supino priori doctrina innitatur.

Loci igitur, in quibus finis sensibus subjectus accusativo indicatus est, hi sunt:

a) Il. χ', 145. *κρούνω δ' ἵκανον καλλιῤῥόω.* Liv. 26, 10. Consules transfugas Numidarum, qui tum in Aventino erant, media urbe transire *Esquilias* jusserunt. Cic. Orat. 2, 6. Laelius et Scipio *rus* ex urbe tanquam ex vinculis evolabant.

b) in quibus finis mente tantum conceptus exprimitur:
Il. λ' 140. *Μενέλαος ἄνωγεν Αγγελίην ἐλθόντα σὺν ἀντιθέω 'Οδυσῆι Αὖθι κατακτεῖναι.* et Il. δ' 384. Plaut. Merc. 2, 3, 19. illam abstrahat, trans mare hinc *venum* asportat. cf. Sall. Jug. 28, 1. Romae omnia *venum* ire. Terent. Phorm. 1, 4, 5. Me aut herum *pessum* dabunt. Liv. IX, 9. neque ego *infitias* eo.

*) Bopp. l. c. p. 41. Zeitwörter der Bewegung werden im Sanskrit als Transitiva konstruirt und der Ort, wohin die Bewegung gerichtet ist, wird als nächster Gegenstand in den Acc. gesezt. Da aber das Wort, welches die Absicht der Bewegung ausdrückt, auch von derselben affizirt wird, und in einem leidenden Verhältnisse zu derselben steht, so kann es mit Recht auch in den Accus. gesetzt werden, da die Accusativ-Endung eigentlich ein leidendes Verhältniss andeutet..... Nächstes und unmittelbares Objekt wird der Inf. nach Zeitwörtern der Bewegung, wenn kein Ort, wohin die Bewegung gerichtet, angegeben wird, und demnach gleichsam die durch den Inf. ausgedrückte Handlung als deren Richtung angesehen wird. etc.

Quodsi hoc de nom. subst. valet, etiam de infinitivis illis, qui substantivi vicem gerunt valere necesse est. Et profecto in lingua graeca infinitivum huic rei inservisse hi loci probant: Soph. Oed. Col. v. 12. *ἥκομεν μανθάνειν.* Herodot. VII, 208. *ἔπεμπεν ... ἱππέα ἰδέσθαι, ὁκόσοι τέ εἰσιν καὶ ὅτι ποιέοιεν.* Cui usui linguae recentiores accedunt; v. gr. Gall. je viens voir; vern. ich komme *zu sehen.* Neque Latini ab hoc usu plane abhorrent, cum apud poetas certe et auctores alios eiusmodi loci inveniantur, ut Plaut. Bacch. 4, 3, 10. Parasitus modo venerat aurum petere. Sed cum in ipsorum lingua forma inf. adesset, quae terminatione ipsa accusativum indicaret, nimirum supinum in *um*, hacce finem illum de quo hic sermo est, indicare coeperunt, ita ut *„veni petitum"* pro norma loquendi, veni petere pro singulari quodam dicendi genere habere debeas.

Quare Priscianus (VIII. 9. 47 ed. Kr. p. 395. *) supinum in *um* cum nominibus propriis urbium comparans recte judicasse mihi videtur, cum inter utramque structuram vere nihil aliud intersit, nisi quod in altera finis adsit sensibus subjectus, in altera autem finis qui sensibus non subjectus est. Neque tamen ei assentiri possumus, quum tales constructiones praepositione carere affirmat, cum contra praepositio illa addita eam vim, quae casui per se, uti ostendimus, inest, acuratius explicet et definiat. cf. Rudd. II, 256 (77.)

Jam vero ad finem quemdam contendere, quam vim unam supino priori inesse contendimus, ea tantum verba dici possunt, quae motum aut propria vi susceptum (intrans.), aut aliunde excitatum significant, i. e. verba, quae vocant *eundi* aut *movendi.* Verbis *eundi* accenseri possunt: *egredi* Sall. Jug. 93, 2. *procedere* Sall. Jug. 94, 5. *proficisci* Sall. Jug. 103, 1. *properare* Sall. Fragm. Hist. III, 22, 16. (ed. Cort. p. 973.), quod fieri posse Krebsius negavit (l. c. §. 503.); *festinare*, Apul. Verbis *movendi* autem: *mittere* Sall. Jug. 54, 2. *dividere* Nep. Eum. 8. *trajicere* Liv. 2, 11. *recipere* Cic. Laet. 18. *conducere* Plaut. Aul. 3, 3, 9. *admittere* Hor. A. p. 5. *ducere* Horat. Ep. I, 2, 30. *dare nuptum* Corn. Nep. Paus. 2, 3.

Sunt autem, qui affirment supinum prius finem significare, quin verbi, quod praecedat, ratio habenda sit. Cui sententiae cum post Perizonium ad Sanct. Min. I, 660. etiam Rudd. II. 256 et nuperrime Hoffmannus (Jahrbücher für Philologie u. Pädagogik, von Jahn. 3. Juhrg. 2. Bd. 3. Heft p. 251 — 254) assensi sint, res accura-

*) Videtur tamen hoc quoque (sc. sup.) quasi ipsius rei esse accusativus, et sine praepositione proferri. Quod quasi ad locum habet significationem, quem ad modum propria nomina civitatum: quae cum ad locum significant, carent praepositione.

tius investiganda esse videtur. Quod autem nulla causa, quapropter hoc affirmarent, allata, exempla tantum proposuerunt, quibus quod sentirent probarent, nobis quoque ad ea tantum descendendum erit, cum ex iis quae proposuimus, quare quod volunt fieri nequeat, ipse intelligas. Jam vero primum illud exemplum quod Perizonius ad Sanct. Min. I, 659. profert: *Dedi ei unam argenti minam obsonatum,* cum ex ejusdem auctoris officina sit, non est, quod refutemus, namque ei, si quid probare voluisset, id agendum fuisset, ut exemplum aliud simile ex quocunque auctore classico proponeret, quod nec factum est, nec fieri potest. Neque locos illos, ubi nuptum a verbo dare pendet, probandi causa afferre poteris, utpote quorum longe alia ratio sit. Nam in illis locis a verbo dare objectum pendet, quod ad finem illum supino *nuptum* expressum ut contendat sive eat incitatur, quare ibi verbis movendi *dare* accenseri potest. — Qua in re Valla eleg. I, 28.*) et Voss. Anal. III, 12.**) recte judicarunt. — Quod cum ab hoc loco absit, supinum „*absonatum*", quod Per. voluit, poni nequit.

Quod autem ad locos, qui ex auctoribus classicis proferri possunt: ut — Plaut. Pers. 3, 3, 43. reditum oportuit. Terent. Heaut. 1, 2, 26. utut erat, mansum tamen oportuit. Cic. ad Att. VIII, 18 (Cn. Magn. Procos. S. D. L. Domitio Procos.) cohortes ad me missum facias. Sall. Fragm. Hist. III, 22, 16. (ed. Cort. p. 973.) neque ego vos ultum injurias hortor. Sall. Jug. 102, 12. se non hostili animo, sed regnum tutatum arma cepisse, attinet, non omnes ejusdem naturae sunt, quamvis ab Hoffm. l. c. aliisque uno ordine positi. Quare de duobus illis Plaut. P. III, 3, 3, 43. Terent. H. 1, 2, 26. primum agamus. Jam vero in his *reditum* et *mansum* supina esse nemini, qui quidem linguae latinae mediocrem tantum scientiam habeat, persuadebis. Nam cum omnia verba impersonalia, quae necessitatem significant, in linguis et graeca et latina infinitivum efflagitent (Buttmann Gr. gr. §. 129, 11. Ramsh. gr. lat. §. 133. not. 2.) quid est, quod ad supinum hic confugias, cum nihil obstet, quo minus reditum et mansum

*) Supinum nunquam fere est sine verbo significante motum ad locum, ut eo, ut venio. Nam illa, do filiam nuptum, do venum, sive venumdo aedes, spectatum admissi fuimus, latentem in se motum obtinent.

**) Nec levis est quaestio de significatione supinorum priorum. Sed de hac ambigere non possit, qui sciat, ea semper jungi verbis motum ad locum significantibus, idque vel occulte vel manifeste. Occulte ut in illo Plauti Aulularia:

Coctum ego non vapulatum dudum conductus fui.

Nam qui coctum conductus erat, idem ut coctum veniret, erat conductus. Sic in illo Ter. Hec. *dare aliquam nuptum.* Hoc est, dare alteri, ut eum domum ducat. Nam ut virgo dicitur nubere, quod est faciem flammeo velare; ita dicitur adolescens domum ducere, pro quo vulgo κατ' ἔλλειψιν ducere usurpatur. —

infinitivi sint, omisso verbo subst. esse. Nam verba neutra formam passivam saepius admittere, pluribus probare supersedemus, cf. Zumpt. Gr. l. c. 37, 2. not. 2 (144). Unum modo locum ad firmandam eam quam proposuimus sententiam addamus: Terent. Andr. 1, 5, 3. *Nonne oportuit praescisse me ante? nonne prius communicatum oportuit?* Ex constructionis ratione satis superque, ut credo, communicatum hoc in loco infinitivum esse apparet. Loci autem, de quibus quaestio est, nonne ejusdem plane naturae sunt? Eodem pertinet locus ille apud Cic. Acadd. II, 4, 10. *totam rem Lucullo integram servatam oportuit.* Ramsh. Gr. §. 171, II, 2. p. 460. falsus est, servatam pro participio habens.

Paullo difficilior explicatu est locus ille tertius Cic. ad Att. VIII, 18. *cohortes ad me missum facias.* Contextus *mitte* postulat, ita ut missum facias pro circumlocutione habenda sit. Jam vero facere ad hunc usum inservisse ex multis locis, quorum nubem Rudd. II, 241. Ramsh. §. 171 (p. 460) collegerunt, conjicere licet. *Missum* autem in hac circumlocutione non supinum esse, sed potius participium ex his locis apparebit. Cic. Phil. 5, 19. *Legiones bello confecto missas fieri placet.* Cic. pro Sext. 66. *Si qui voluptatibus ducuntur, et se vitiorum illecebris dediderunt, missos faciant honores.* At, dixerit aliquis, si missum participium esset, et genere et numero cum substant. congrueret, quod in locis illis Ciceronianis factum esse vides. Cui rei noli multum tribuere Namque complures loci exstant, in quibus participia cum substantivis nec genere nec numero congruunt. Cic. Verr. V, 65. Hanc sibi rem praesidio sperant futurum. Plaut. Amph. Prol. 33. Justam rem et facilem esse oratum a vobis volo. cf. Rudd. I, 285. Perizonius ad Sanct. Min. I, 126. et inprimis testimonium ipsum Prisciani IX, 7, 39 (ed. Kr. p. 457*). Quare nos hunc locum ad genus dicendi illud antiquitati relictum referendum esse censemus, neque supinum in vocabulo „*missum*“ agnoscere possumus.

Aliter res se habet in loco illo Sall. Hist. Fragm. III, 22 (ed. Cort. p. 973) namque in eo *ultum* vere supinum est. Qui locus cum unicus sit, in quo a verbo *hortandi* supinum pendeat, quamvis Sallustius amore quodam supino priori cum verbo *ire* conjuncto usus sit, Sall. Cat. 36, 52, 12. Jug. 31, 27. 68, 1. 85, 42, ubi alii

---

*) Frequenter tamen antiquissimi neutro participio futuri addebant esse, et infinitivum fut. significabant, oraturum esse pro oratum ire dicentes, et facturum esse pro factum ire. Cato in V. Originum: *Illi polliciti sese facturum omnia* ...... Lucilius in XVII ad Penelopam conversus ait: Nupturum te nupta negas, quod vivere Ulixem speras ...... Sylla in XXI. Rerum suarum: Ad summam perniciem remp. perventurum esse.

auctores formam enuntiationis aliam usurpant, fuerunt qui hunc locum mutilum esse censerent, cui medela eo adhiberi posset, ut *ire* apponeretur. cf. Ramsh. §. 170, 1. not. 1. Mihi autem locus integer atque res ita expedienda esse videtur. *Ultum* infinitivi forma alia fortasse antiquissima aetate priori omnia accusativi munera obibat, posteriori aetate autem usu loquendi in fines angustiores compulsa est, quare hoc loco *ultum* pro *ulcisci* positum esse puto. Sall. Cat. 5, 9. Res hortari videtur . . . repetere. Sic contra ea in loco illo Plaut. Bacch. 4, 3, 8. petere pro petitum positum esse concedes.*) Nimirum vocabula singularia totaeque partes orationis sua fata habent, ita ut quod aetate priori in usu fuerit, posteriori inusitatum factum esse possit. Quare si de parte aliqua linguae cujusvis disserere volueris, necesse est, nisi forte omnia vis turbare, ut aetatem aliquam constituas, cujus usum loquendi pro norma habere velis. Haec autem in lingua lat. aetas Ciceroniana sive aurea est, quam etiam nobis normam fuisse, non est quod dicamus. Quare quum hujus aetatis usui locus aliquis repugnat, sicuti hic, de quo sermo est, hanc rem ad refellendam sententiam nostram nihil valere intelliges.

Lectio denique Sall. Jug. 102, 12. nullius momenti esse potest, quippe quam Cortius ex Vinar. 1. receperit, assentiente ex omnibus libris manuscriptis hucusque collatis uno Bern. 3. Cum omnes alii *tutandum* praepositione *ad* vel *ob* praemissa servent, jam dudum ab editoribus hujus auctoris recentioribus Havercampio et Gerlachio locus ita restitutus est: „se non hostili animo, sed ob regnum tutandum arma cepisse.“ —

Itaque cum hos locos ad sententiam nostram refutandam nihil valere demonstratum sit, genus illud dicendi, quo verbum *ire* cum supino priori conjunctum circumlocutioni cuidam inservire dicunt, facilius explicatu erit. Namque ad ea tantum quae diximus recurrere, quaque ratione ad hoc genus dicendi referri possint, monstrare opus erit. Jam vero in locis ejusmodi Hor. Ep. I, 15, 48. *Lusum it Maecenas, dormitum ego Virgiliusque.* Virg. Aen. II, 786. *aut Grajis servitum matribus ibo*, omnia plana invenies, cum a verbo *eundi* accusativus objecti quodammodo pendeat ad indi-

---

*) Bopp. l. c. p. 113. Bey ältern Schriftstellern finden sich häufiger Spuren, dass Inf., Gerundium und Supinum ursprünglich wenig oder gar nicht im Gebrauche verschieden gewesen, und dass das eine für das andere willkührlich gesetzt werden konnte. Statt des Accusativs des Gerundiums nach *ad* steht der Infinitiv bey Terenz: (Andr. I, 1, 28.)

Quod plerique omnes faciunt adolescentuli,
Ut animum ad aliquod studium adjungant,
Aut equos alere, aut canes ad venandum
Aut ad philosophos.

candum finem ad quem motus ille susceptus est. Hujusmodi loci viam muniunt ad hosce recte intelligendos: Sall. Jug. 85, 42. praemia ereptum eunt. Plaut. Cas. Prol. 86. Argentum si quis dederit, . . . ultro ibit nuptum. Hos similesque his ita interpretandos esse censemus, ut verbo *ire* sensus improprius: *in eo esse, id agere* tribuatur, supino autem de vi illa, quam diximus, nihil derogetur. Hic libet conferre eundem ferme usum in lingua graeca, in qua et ipsa ἔρχεσθαι pari modo pro *μέλλειν* ponitur. Herod. VII, 49. *καὶ δὴ τῶν δύο τοι τοῦ ἑτέρου εἰρημένου τὸ ἕτερον ἔρχομαι ἐρέων.* ib. II, 35. Ad quam rem etiam linguae recentiores accedunt v. gr. gallica: aller, vernacula: „damit umgehen.“ Quodsi haec vis tempori finito verbi *ire* inest, eodem modo etiam infinitivo eam inesse oportet, ita ut merae circumlocutioni formula illa v. gr. perditum ire, inservire non possit. Qua in re Voss. Anal. III, 17 recte judicavit*); cui accedunt Rudd. II, 258. Bauer. ad Sanct. Min. I, 673—677. denique Cortius, Herzogius, et Kritzius ad Sall. Cat. 36, 4. Mirum igitur videri potest, quod Zumpt. Gr. l. l. c. 83, 2. not. (669) dicit: „perditum ire“ ist gewöhnlich nichts anders als perdere, ähnlich dem Deutschen *„in's Verderben stürzen.“* Namque in omnes locos, quos Zumpt. ipse l. c. et Ramsh. §. 170. not. 1. (p. 450) proponunt, quosque apud alios, v. gr. apud Sall. Cat. 52, 12. Jug. 31, 27. 68, 1. 85, 42. Liv. 28, 41. 39, 10. Curt. 10, 8, 5. Tac. Ann. 13, 44. 4, 66. 4, 1. H. 2, 6. 4, 73. 6, 36. 12, 55. 15, 1 et seq. invenire poteris, ea quam proposuimus interpretandi ratio: *in eo esse, id agere, ut etc.* sola convenit. Quare quum Priscianus IX, 7, 39 (Ed. Kr. p. 456) dicit: *Sciendum autem, quod in um desinens supinum accepto verbo infinito, quod est ire, facit infinitum futuri, ut oratum ire, dormitum ire, statum ire,* hoc ita intelligendum erit, infinitivum futuri, quod forma propria, pro qua forma infinitorum in *ssere* apud Plautum obviorum: Amph. 1, 1, 55. expugnassere Aul. 4, 7, 6. impetrassere Capt. 1, 2, 59 reconciliassere, habenda est, jam primis temporibus abolita erat, hac circumlocutione quodammodo compensatum fuisse. Namque nec circumlocutio illa eum verbo *ire* et supino in *um*, nec conjugatio periphr. act. in futuri significationem ex omni parte abierunt, sed locum tantum vicarium obtinent, quod eo facilius fieri potest, quo propius sententia formulae illius *in eo sum, id ago,* ad tempus futurum accedit. Id autem teneas velim, infinitivum futuri act. jam a primis inde temporibus raro circumlocutione illa verbi ire cum supino, saepius participio fut. act., addito verbo subst. esse,

*) Nec tamen dissimulare possum, in hujusmodi circumlocutione etiam esse notionem futuri. Quum dico: ire perditum, indico quid fiat et quid futurum sit, nempe hoc agi, ut perditio alicujus consequatur.

indicatum esse, id quod Priscianus IX, 7, 39 (ed. Kr. p. 456) testatur: *Frequenter tamen antiquissimi neutro participio futuri addebant esse, et infinitum significabant, oraturum esse pro oratum ire dicentes, et futurum esse pro factum ire.*

Longe aliter res se habet in passivo, ubi infinitivus fut. supino in *um*, verbo *iri* addito, significari solet. Ex eodem autem formae propriae defectu, quem etiam in activo adesse vidimus, hanc verborum conjunctionem natam esse putamus; sed ideo nisi circumlocutionem illam *fore, ut*, huc refers, forma sola infin. fut. est, quae restat, quod illa altera conjugat. periphrasticae admitti non potest, cum participium quod vocant necessitatis non tempus fut. sed meram necessitatem significet. Ad quam verborum conjunctionem recte explicandam superiora nobis in mentem revocemus necesse est. Cum supinum notionem infinitivi illius servet, verbum *eundi* autem, a quo pendet, motum ad finem consequendum significet, opus erit, ut, quum constructio in passivum vertenda erit, sensus passivus in verbo *ire* indicetur. Quare enuntiationem illam: *puto, illum mihi injuriam factum ire*, ita in passivum convertere debebis: *puto, ab illo mihi injuriam factum iri.* Qua constructione ita posita nihil est, quod te moretur. At in constructione passiva difficultas aliqua inde oritur, quod accusativus ille, quamvis a supino pendeat, in nominativum convertitur, ita ut enuntiatio: *injuriam factum eunt*, in passivo sic pronunciari debeat: injuria factum itur; id quod hi loci probant: A. Gell. X, 14. *In hac contumelia, quae mihi factum itur.* Quinct. Inst. orat. IX. 2. *Reus parricidii damnatum iri videbatur.* Plaut. Rud. 4, 7, 16. *Mihi isthaec videtur praeda praedatum irier.* In quo constructionis genere mirum in modum linguae et veteres et recentiores cum latina consentiunt; sic v. gr. graece: ἔμελλεν ὁ φεύγων κατακρίνεσθαι. Gallice: l'accusé alloit être condamné. Bauer. ad Sanct. Min. I, 674. Cujus constructionis causa mihi in studio illo Latinorum posita esse videtur, quo notam verbo expressam ad subjectum certum referre, quam in universum, subjecto subpresso, pronunciare malebant, qua quidem re orationi multo plus vigoris atque alacritatis accedere notum est. Hujus studii exempla praeter alias constructiones illae verborum, dicitur, traditur etc. cf. Zumpt. c. 70, 1. not. 2 (380) et verborum neutr., ut, *nox dormitur, via itur, etc.* cf. Zumpt. c. 71, 1. not. (683) praebent. Apud Graecos poetasque latinos hunc usum longius patere, non est quod pluribus explicemus. cf. Günther im Athenäum von Günther u. Wachsmuth. I. Bd. 1. Heft. p. 58.*) u. Matthiä gr. Gr. §. 296.

*) Es war schon die Rede von der Neigung, die abstrakten Begriffe als Adjectiva oder Participia in das Subject zu legen, und so ein concretum pro abstracto zu bilden, Beweise hievon sind schon im Griechischen, wo man doch sonst gern sogar ganze Sätze als Eine Subjekt - oder Ob-

Denique quod ad significationem infinitivi hujus ex verbo *iri* et supino in *um* compositi attinet, in illo vim verbi *iri* atque finem illum supino indicatum inesse contendimus, ita ut magis de eo quod praeparatur, agitur, ut aliquid fiat, quam de eo, quod futurum est, intelligendus sit. cf. Ramsh. l. c. §. 53 (p. 84) not. —

Restat, ut priusquam de supino priori absolvamus, pauca de iis dicendi generibus proponamus, quae supini locum obtinere i. e. eundem fere sensum efficere dicuntur. Qua in re mihi hoc praecipiendum esse videtur, varia constructionis genera eundem sensum servare censenda esse, si servatis quae ad rem pertinent enuntiationis formam tantum mutant. Ad rem autem in constructione supini prioris pertinet, ut finem motu consequendum indicet. Quare rejectis locis, qualis est quem Ramsh. p. 451 proponit: Liv. 7, 27 *quum legati amicitiam ac societatem petentes venissent*; quippe cujus sensus a sensu supini ita differt, ut tempus praesens a futuro: ad illas quae secundum ea quae diximus verae circumlocutiones sunt veniemus.

In his autem ponenda esse putamus:

a) Infinitivum actionis durantis et Gerundium. In his non est, quod lectores diutius moremur, quum ex his quae praemisimus constet, supinum, gerundium et infinitivum illum act. dur. varias tantum ejusdem summae verbi notionis formas esse; quare mirum non est, quod altera in alterius locum ita succedit, ut discrimen, quod inter eas intervenire ab initio diximus, omnino sublatum sit. Hoc in hisce locis facile invenies:

Liv. 42, 25. Quod alii super alios legati venerunt, speculari dicta factaque sua.

Sall. Jug. 108, 1. Ibi cum Boccho Numida quidam .... agebat praemissus spectatum Bocchi consilia.

C. B. G. III, 1. Huic permisit, ... uti in eis locis legionem hiemandi causa conlocaret.

Corn. Nep. Eum. 8, 1. Ipse in finitima regione Persidis hiematum copias divisit.

b) Part. fut. pass. praepositionibus *ad*, *ob*, *inter*, *ante*, *circa*, *in*, vel substantivo illo veteri *causa*, quod praepositionis vicem gerere constat, additis. — Hanc constructionem in supini locum succedere posse, nemo negabit, qui reputaverit, eundem sensum manere, sive verbo movendi finis hujus motus accusativo

- jektiv-Vorstellung denkt, z. B. Xen. Anab. I, 5, 9. δῆλος ἦν Κῦρος σπεύδων πᾶσαν τὴν ὁδόν. Aus dem Lateinischen gehört dahin die Verwandlung von dicunt u. s. w. wo kein deutliches Subjekt da ist, in dicitur etc.; ferner die Ausdrücke summus mons, extrema urbs, ima vallis. Daraus ist auch die Stelle Hor. A. p. 231 »Effutire leves indigna tragoedia versus« zu erklären.

supini additur, a quo aliud objectum pendet, sive notam verbi in adjectivum quoddam necessitatis mutas, idque cum Substantivo ita conjungis, ut praepositio addita finem consequendum clarius indicet. Quare in locis his: Liv. 9, 16. *Legatis missis ad pacem cum precibus petendam.* C. B. G. I., 38. *Ariovistum cum suis omnibus copiis ad occupandum Vesontionem... contendere.* Tac. annal. 11, 32. *Silius dissimulando metu (i. e. metui) ad munia fori digreditur,* veras circumlocutiones adesse censemus, quod clarius apparebit, si cum iis hos contuleris. Sall. Jug. 80, 4. *Legatos Romam miserat foedus et amicitiam petitum.* ib. 103, 1. *proficiscitur in loca sola, obsessum turrim regiam.* Attamen multo longius haec constructio patet, quam supinum, namque sup. modo post verba motus, haec autem post quodlibet aliud verbum poni potest. –

c) *Conjunctivum a conjunctionibus, ut, ne, vel a Relativo qui pendentem.* Si subjectum, quod ad finem consequendum vel propria vel aliena vi motum tendit, magis elucescere volueris, duae enuntiationis orientur, quarum altera alteri subjecta est. Quae duae enuntiationes plane idem significant, atque una illa cum supino, ut hi loci probare possunt. Terent. Andr. 3, 2, 35. *Missa est ancilla illico Obstetricem arcessitum et puerum ut afferret simul.*

Liv. 5, 35. *Clusini legatos Romam, qui auxilium ab senatu peterent, misere.* *Liv.* 9, 20. *Apuli foedus petitum venerunt.*

Has constructiones ejusdem fere naturae esse magis apparebit, si vel externam enuntiationum formam accuratius inspexeris. Namque in conjunctionibus illis *ἵνα*, *ut*, *dass*, non poteris quin formam quandam pronominum agnoscas, quae in formam particularum abierint, ut vinculum, quod inter enuntiationes intercedit, indicent, ita ut fere pro articulis enuntiationum haberi possint. cf. Bopp. l. c. p. 79–83 *).

*) Nichts anders, als pron. rel. oder demonstr. sind wirklich die Conjunctionen, welche die grammat. Beziehungen des Infinitivs ausdrücken. Sie stehen entweder in dem Casus, der das auszudrückende Verhältniss bezeichnet, oder sie können unter einem adverbialischen Ausgange sämmtlichen Casusverhältnissen entsprechen..... Ich möchte diese Art von Conjunctionen lieber den Artikel der Zeitwörter nennen, weil sie eigentlich bey Zeitwörtern gerade das vertreten, was bey unbiegsamen Substantiven der biegsame Artikel..... Dem Acc. des griech. Inf., der eine Absicht, einen Beweggrund ausdrückt, entspricht die Conjunction *ἵνα* — *ἱς* halte ich für das ausser Gebrauch gekommene Relativ, welches das Demonstrativ *τις* erwarten lässt, und *ἵνα* wäre dann dessen Accusativ plur. neutr. Der Conjunction *ἵνα* entspricht im Deutschen damit, auf dass, im Gothishen Thammes und du Thammei. Thammei ist der Dativ des Relativs, und *du* die Präposition *zu*.... Das lateinische *ut* kommt wahrscheinlich wie ita von is, ea, id, her, denn u galt bey den Alten oft für i. —

d) *Participium Fut. Act.* Denique notio illa futuri, quae in qualibet enuntiatione inest quae finem consequendum indicat, eodem modo in sensu activo ad subjectum, quod quid facit, referri potest, sicuti supra ad objectum quod efficiendum est referri posse vidimus. Quo facto participium futuri act. in supini locum succedere concedes. Tac Hist. II., 46. *Maroboduus misit legatos ad Tiberium oraturos auxilia. Sall. Iug.* 24, 1. *saepe ad vos oratum mitto*, etc. — Hoc constructionis genere i. e. Part. fut. act. Graecos ad eum quem Latini supino *in um* exprimunt, sensum indicandum fere ubique usos esse, poterunt te docere Matthiä Gr. gr. §. 556, 7. Buttmann. Gr. gr. §. 131, 3; quare Metaphrastes locum illum C. B. G. I, 34. *mitteret... qui postularent*, recte vertit: *ἔπεμψέ τινα δεησόμενον*, a vero autem aberravit C. B. G. I, 30 *gratulatum convenerunt*, vertens: *συνησόμενοι ἦλθον*, Xen. Mem. Socr. III, 7, 5. Herodot. II., 35, VII, 32. VIII, 54 etc. —

De supino posteriori seu supino in u.

Quod supra in universum de supinis proposuimus, nimirum ea quodammodo in infinitivi locum, et prius quidem ex parte in locum accusativi, posterius autem in locum ablativi succedere: id ut de posteriore firmioribus argumentis probemus nobis restat, quod ratio rei eo magis postulat, quo plures qui nostrae sententiae adversentur inveniuntur. Jam vero primum quod ad notionem attinet, plerique omnes Grammatici supinum posterius passivae notionis esse contendunt; quod quidem multo aliter se habet.

Quodsi supinum in *u* passivam modo significationem haberet, nullus prorsus locus posset proferri, in quo verbi cujusdam vel intransitivi vel deponentis supinum in *u* inveniretur, utpote a quibus verbis passiva significatio omnino abest. Jam vero exempla, quamvis pauca, supinorum, quae a verbis intransitivis et deponentibus descendunt, exstant. *Liv.* Praef. foedum inceptu, foedum *exitu*. Plin. 14, 3. Forenses uvae celeres *proventu*. Tac. Annal 15, 53, 1. Caesar rarus *egressu*. Val. Max. 4, 6, 1. *ardua imitatu*. Frustra rem ita expedire conaberis, ut in exemplis prioribus substantivum afferri, locum autem Valerii passive explicari posse contendas, cum notum sit, verba plurima deponentia pro communibus habenda esse. Namque Priscianus quamquam nubem exemplorum congessit (VIII, 4, 15–24 pag. 367–375) in quibus deponentia sensu passivo inveniuntur, verbum *imitari* in iis non posuit. Eodem modo neque apud Vossium Anal. III, 6, IV, 11, neque apud Nolten. Lex. Antibarb. p. 1013 locum, ubi *imitari* passive sit usurpatum, invenire poteris. Quae cum ita sint, nihil

omnia quae afferri possunt exempla probabunt, utpote in quibus supino significatio activa aeque bene tribui possit; namque v. g. *optimum factu* aeque bene poteris explicare: *optimum facere* quem; atque *optimum fieri quid.* Quamvis autem etiam exempla ejusmodi, ut Gell. VII, 17 *Digna quaeri tractarique* Val. Max. 4, 6, 1. *cognosci utilia in medium proferas*, nihil aliud probas, quam scriptores hisce in locis personae, quae agat, ita rationem non habuisse, ut notam verbo significatam ad objectum retulerint, quod quidem fieri posse, sensu tamen paullulum immutato etiam nos libenter concedimus. Qua in re Priscianus VIII, 9, 8 (396) verum vidit, quum dicit: *Sicut autem supra docuimus communem habent significationem ab activis vel communibus nata*, ut oratum πρὸς τὸ παρακαλεῖν καὶ πρὸς τὸ παρακαλεῖσθαι, oratu ἀπὸ τοῦ παρακαλεῖν καὶ ἀπὸ τοῦ παρακαλεῖσθαι VIII. 9, 47. *Sequens vero forma, quae in u terminat, ablativus mihi videtur ipsius nominis, quo ipsa res significatur carens similiter praepositione. Quid est enim mirabile visu, nisi visione? Visio enim tam ex actione, quam ex passione potest fieri.* Quae, quamvis non ab omni parte vera, id certe probant, significationem mere passivam supino in *u* a veteribus non tributam esse; contra notionem illam summam verbi infinitivo actionis durantis expressam Priscianum hoc loco supinis inesse dare testatum esse. Denique haud parum momenti argumento nostro hac re accedit, quod Graeci in hoc dicendi genere infinitivo act. utuntur. Cic. Off. II. 14 *difficile dictu.* Plut. Pompej. 72. χαλεπὸν εἰπεῖν Liv. 24, 21. *Libertatis restitutae dulce auditu nomen mutavit Syracusanorum animos.* Herod. VII, 10. καίτοι καὶ λόγῳ ἀκοῦσαι δεινὸν, ἐπ' ἀνδρί γε ἑνὶ πάντα τὰ βασιλέος πρήγματα γεγενῆσθαι. Quibus licet alia addere Thuc. I, 138 ἄξιος θαυμάσαι, VI, 9. ῥᾳδία κατασχεῖν VI, 39 ῥᾳδία μεταχειρίζειν VII, 14 χαλεπαὶ ἄρξαι Xen. Mem. Socr. 3, 12, χαλεπὰ πιστεῦσαι cf. Matthiae gr. Gr. p. 469 et 513 Graecis quoque formam passivam non plane fuisse ignotam, ut praeter alios locus ille Il. κ, 402 ἀλεγεινοὶ δαμημέναι, demonstrat, item probat, notionem illam summam infinitivo re vera inesse. Hoc dicendi genus cum Latino congruere, ideoque ad nostram sententiam aliquid valere paullo infra apparebit. — In nominibus autem has supini formas numerari non posse, cum ab initio demonstratum sit, hic pluribus probare supersedemus; neque quisquam ut casus verbi huic supino apponatur postulabit, si reputaverit, cuinam usui inserviat.

Quare cum etiam hanc formam notionem illam infinitivi retinere, neque in substantivis, sed in casibus infinitivi numerandam esse probatum sit: priusquam de vi et momento ejus agamus inquirendum esse videtur, num haec forma intra fines ablativi (uti ab initio diximus) an dativi compellenda sit, nam cum testibus A. Gell. 4, 18 Prisc. 7, 18, 88 (ed. Kr. 352) terminatio in *u* et dativi et ablativi fuerit, res aliquamdiu dubia

videri potest, cum loci aliquot exstent, qui hanc per dativum interpretationem admittant V. g. C. N. D. 2, 57 palpebrae mollissimae tactu Curt. 5, 1, 8. Non speciosa dictu, sed usu necessaria. cf. Voss. de Constr. 54. At si reputaveris, dativum ad perpaucos locos tantum recte explicandos, ablativum autem ad hos ipsos, quos dativos esse volunt, sufficere, ablativum unicum admittes. Huc accedit, quod supinum illud revera cum ablativo componitur loco illo Plin. VII, 1. *Parvum dictu sed immensum aestimatione*, denique quod Graeci in eodem dicendi genere non dativum, cujus fere eadem atque in lingua lat. apud illos vis est *), adhibent, sed accusativum illum quem vocant objecti remotioris.

Quae causae cum formam supini non dativo sed abl. annumerandam esse evincant, nobis adhuc inquirendum erit, cum ablativi vis tam late pateat, utrum haec forma ad omnes illius casus notiones significandas inserviat, an in fines angustiores sit concludenda? Jam vero praeter supinum etiam gerundium munera quaedam inf. obeunda suscepit, uti supra docuimus, et quidem ea, quae ad *tempus*, *medium*, *causam* etc. pertinent, ita ut supino id modo relictum sit, ut sensum vocabuli cui apponitur intra fines angustiores compellat, et vere *abl. condicionis*, *sive respectus* sit. —

Plerique omnes Grammatici sup. in *u* cum adjectivis, substantivis et verbis componi posse contendunt. cf. Rudd. II, 259. Ramsh. §. 170, 2. A. (p. 451) Zumpt. c. 83, 3. (670.). De adjectivis nemo est qui adversetur; neque quisquam negabit, substantivis *fas*, *nefas*, *opus* (R. 170, 2. A.) et ut quartum addam, substantivo *scelus* (Prudent. Apoth. 822. quod dictu scelus est) supinum in *u* subjici posse. Sed id modo velim consideres, haec substant praeter formam nihil in se habere, quod iis hac constructione nexis locum in Substant. vindicet, contra ea sensum plane eundem ut adjectiva efficere parique modo cum verbo subst. tantum conjungi; nam quid *nefas dictu* est, nisi *illicitum dictu* est, quid *factu opus*, nisi *factu necessarium?*

Eodem modo res se habet in iis locis in quibus supina verbis subjecta esse dicuntur. Namque verba in participiis posita sunt, quibus, ut in universum notum est, eadem fere est natura atque adjectivis e. g. Val. Max. 9, 13, 2. *Verba dictu fastidienda sunt*; locus autem ille Tac. Agr. 31. *pudet dictu*, secundum lat. linquae indolem explicationem admittit. Namque cum natura verborum imperson. ea sit, ut praedicatum, quod significant, adesse indicent; quis est, quin videat, *pudet* idem esse, atque *pudere adest*, quod sensum, si non eundem, attamen similem efficiet, *ut*, *turpe est*, quo facto unde *dictu* pendeat, apparet. In ceteris locis quos Ramsh. p. 452. Rudd. II. 259

*) Thiersch. Gr. gr. §. 192, 3.

aliique afferunt omnibus equidem ego supinum non invenio. — Ex quibus patet, supina posteriora adjectivis tantum, aut iis orationis partibus subjici solere, quae adjectivorum vicem gerant, eademque de causa eandem verborum constructionem adsciscant, quod licet in omnibus orationis partibus, quas vicarias appellant, observare.

Neque tamen omnia adjectiva ejusmodi sunt, ut iis Supinum posterius subjici possit. Nam cum Supinum hoc, ut forma alia infinitivi eundem sensum servet, ideoque notionem aut activam aut passivam significet; adjectiva quibus subjici possit, ea tantum esse possunt, quae facultatem ad rem aliquam faciendam, aut modum, quo quid fiat indicant, sive sunt primitiva sive derivata, nihil ad rem. cf. Rudd. II, 260. Ramsh. l. c. Quorum adjectivorum numerus ut accurate definiri non potest, ita ut definiatur ne opus quidem est, nam cum certi fines, intra quos sensus adject. hujusmodi versari debeat, propositi sint, quivis facile, qui annumerandi sint, intelliget. Tamen ut etiam hac in re usui consulamus aliquot afferamus. cf. Ramsh. p. 451. Rudd. II, 260 *). Quae si accuratius examinaveris in eum tantum, quem diximus, sensum convenire videbis, frustraque alia, quae non sint ejusdem vel similis tantum sensus cum supino conjuncta promere studebis.

Hujuscemodi autem adjectiva, uti apparet, late patent, atque in iis omnibus, ad quam rem quis idoneus sit, aut quo modo quid fiat, licet ulterius quaerere. Quodsi ad certam quandam rem aut certum quendam statum ea referre volueris, eam verbi formam, quae summam illam notionem in se continet addas necesse est. Neque quonam casu id debeat fieri diutius haesitabis, cum ablativi solius sit, *condicionem seu respectum* significare vgl. Ramsh. §. 143, IV. 2. (p. 260). Itaque v. g. in *dulce auditu* Liv. 24, 21. *et voce absonum* Cic. Orat. 1, 51. eadem quasi junctura invenitur, id tantum interest, quod in loco priori adjectivo modum indicanti verbum, in altero substant. additum est. Quare cum abl. supini sit abl. condicionis, in lingua gr. ei accusativus modo objecti quod vocant remotioris respondebit. Quod ita se habere ex Gr. gr. Matthiä S. 424 (401). Thiersch. §. 193, 5 (p. 220.) cognoscere poteris. Quare in omnibus illis locis, quos supra, quum de notione esset sermo, attulimus v. g. χαλεπὸν εἰπεῖν infinitivum in accus. positum esse censemus, qua in re consentientem habemus V. D. Matthiä gr. gr. §. 534 (511). Ex quibus etiam, credo, apparebit, qua de causa huic supino casus Verbi non subjiciatur; nimirum infinite tantum ad quam actionem quis

*) Affabilis, arduus, bonus, dignus, indignus, facilis, proclivis, difficilis, jucundus, injucundus, suavis, honestus, pulcher, utilis, foedus, turpis, obscoenus, rarus, mirabilis, miserabilis, horrendus, terribilis, gravis, acerbus, asper, truculentus etc.

idoneus sit, vel quonam modo quid se habeat, indicatur, neque ad quam rem efficiendam quis sit idoneus, ulterius interrogari potest: atque hac de causa casus rei cujusdam addi non potest. Pari modo secutus hanc, quam proposuimus regulam facili opera supinum in *u* a quolibet substant. verbali, cui eadem sit forma, discernes, cum id modo ceu ablativum condicionis eumque infinitivi admittere, alios autem locos omnes in substantivorum numero ponere coactus sis. —

Quae cum ita sint a quovis verbo utpote ad facultatem quandam modumque indicandum apto supinum posterius descendere posse censendum est. Et profecto variorum et sensu et forma dissimilium verborum supina licet colligere. v. gr. *jactu.* Terent. Adelph. 4, 7, 22. *Si illud quod maxime opus est jactu, non cadit.* — *petitu et vitatu.* Hoc. Sat. I, 4, 715. *Sapiens vitatu quidve petitu sit melius causas redet tibi.* – *inventu.* Cic. Lael. 17. *non facile inventu.* Attamen infitiari non possum in scriptis veterum, quae exstant, non admodum multa supina in *u* inveniri, cujus rei causam infra quum de circumlocutione redibit sermo, proponere conabimur. Igitur per supinum posterius vulgo eae tantum notiones adjectivis adduntur, quae ad verba *faciendi aut dicendi* pertinent, tum quae munus *a sensu quodam vel interno vel externo* obeundum exprimunt, ita ut haec usitatissima esse videantur: *factu, dictu (memoratu, narratu, celebratu) visu.* Sall. Iug. 93, 7. *auditu* Cic. Orat. 1, 8. *tactu* Cic. C. N. D. 2, 57. *cognitu* Cic. Orat. 1, 8. *scitu.* Cic. de Inv. 1, 20. *gustatu* Cic. Cat. M. 15, 53. Multo frequentius circumlocutiones illae adhibitae inveniuntur, quae ut sensum plane eundem non efficiunt, ita tamen proxime ad eum accedunt, quarum altera per part. fut. pass. addita präpositione *ad*, altera per infinitivum formatur. —

De priori quidem circumlocutione facile quivis intelliget sensum non multum variare, namque cum supinum ablat. condicionis sit, et ad quam actionem quid aptum sit indicet, quis est quin in part. fut. pass. eundem fere sensum inesse et id tantum interesse intelligat, ut, cum constructio illa cum part. fut. pass. ponatur, actio ad certam quandam rem efficiendam referatur. Quam sententiam nostram his probare conemur exemplis: Cic. de Fin. II, 20. *Cibus facillimus ad concoquendum.* Plin. 23, 8. *Nuces difficiles concoctu.* Cic. de Plat. 1, 8. *Quid est tam jucundum cognitu atque auditu, quam sapientibus sententiis gravibusque verbis ornata oratio.* Cic. Orat. 1., 49. *Oratorem puto esse eum, qui verbis ad audiendum jucundis et sententiis ad probandum accomodatis uti possit.* Cic. Tusc. 2, 7. *Res dura, aspera, amara, ad patiundum tolerandumque difficilis.* Cic. Tin. 4, 19. *Asperum est dolere, molestum, odiosum, contra naturam, difficile toleratu.* —

Sed hoc genus dicendi solum est, quod circumlocutioni ita inserviat, ut sensus

fere idem remaneat. Reliqua circumlocutionis genera, quae proponuntur, omnia (cf. Ramsh. §. 170, 2, c. Not. 2. b. p. 452.) plus minusve a sensu qui supino inest recedunt, ideoque pro ciscumlocutione vera secundum ea quae diximus haberi nequeunt. Nam ut alias v. g. per part. praes. etc. cf. R. l. c. omittam, circumlocutio illa per infinitivum longe alium sensum efficit. Namque inf., ubi adjectivo hujusmodi additur, subjectum est, de quo in enuntiatione plena aliquid praedicatur, ita ut v. gr. in loco illo C. Nep. Att. 16. *judicare difficile est*, tres illae judicii partes; subjectum (judicare) praedicatum (difficile) copula (est) adsint. Contra si supinum aut vera illa circumlocutio cum part. fut. pass. posita est, ut Cic. Off. III, 6. *Haec ad judicandum sunt facillima*, id quod alio judico jam constitutum est (*facilis ad judicandum*) quasi una notione comprehensum de novo quodam subjecto praedicatur. Prius dicendi genus, nimirum per infinitivum illa circumlocutio, ut ad vim perspicuitatemque orationis multum confert, ita etiam in causa esse videtur, quare forma illa supini posterioris raro inveniatur *). Ex iis quae diximus apparet, quum adjectivum tale cum supino in *u* ponatur, semper subjectum adsit oportere, ad quod referatur. Quod quidem in omnibus locis, quibus supinum post. invenitur, quod ego sciam, ita se habet. Unus ille locus Ciceronianus repugnat: Lael. 17, 64. Vulgo legitur: *Quid? haec ut omittam, quam graves, quam difficiles plerisque videntur calamitatum societates? ad quas non est facile inventu, qui descendat.* Cum natura adjectivi „*facile*" illo verbo „*inventu*" apposito non immutetur, necesse est, ut subjectum quoddam, sive substant. sive alia orationis pars, quae substant. vicem gerat, adsit, ad quod „*facile*" vel ut attributum, vel ut praedicatum referatur. Tale autem subjectum non adest, neque in *difficile* libri Mss. variant, quare in „*inventu*" aut in alio juncturae genere menda haereat necesse est. Emendatio, quam libri Mss. praebent, utpote qui sane quam plurimi *inventus* praebeant **), propter immutationem minime violentam primo adspectu quidem arridet, sed si rem accuratius examinaveris, eam cum sequentibus non convenire videbis. Namque si „*inventus est*" huic loco redditum est, necesse est, ut *descenderet* consequatur. cf. Zumpt. Gr. lat. c. 76, 13. (514) Krüger ***) II. Heft p. 67. et sequ. Quare nobis quidem magis arridet mutatio pron. relat. *qui* in pron. interr. *quis*, ita ut, cum *non facile inventu est*, *quis descendat* legeris, tota illa

*) Rudd. II, 261. Quodsi sententia nondum perfecta est, sed ad casum aliquem praesertim acc. fit transitio, tum infinitivo fere semper utendum. Cujus rei ratio in eo sita est, quod supina posteriora absolute ponantur, nec ut priora casum sui verbi post se recipiant.

**) cf. Gernh. in ind. lect. Varr. l. c.

***) Untersuchungen aus dem Gebiete der lateinischen Sprachlehre. Braunschw. 1820.

enuntiatio „quis descendat“ subjectum sit ad *„non facile est inventu“* eodem fere modo ut in loco illo Cic. Off. II, 14, 48. *difficile dictu est, quanto opere conciliet animos comitas affabilitasque sermonum.*

Quodsi ea, quae de natura supini posterioris proposuimus, recte se habent, uti speramus, de circumlocutione in formula illa *optimum factum* pro *„optimum factu,“* ut multi volunt, sermo amplius esse non poterit, Namque cum supinum *factu*, utpote quod vicem infinitivi gerat ideoque ad omnes ejusdem generis casus pertineat, *factum* autem, quod part. pf. pass. hic substantivi loco positum est, pro uno tantum casu possit accipi; quivis inter hasce formulas differentiam quoad numerum interesse intelliget, ita ut *optimum factum* (gut gethan i. e. gute That) ad singulare quid, *optimum factu* (gut zu thun) ad omnia ejusdem generis, quae fieri possunt, pertineant. cf. Bentley ad Terent. Andr. I. 5, 1. *). *Hocinest factu humanum aut inceptu?* et Kritzium ad Sall. Cat. 32, 2. *optimum factum.* — Ab hoc usu in natura verborum fundato poetas interdum recedere, ut in vulgus notum est, ita etiam ex his locis cognoscere poteris. Cic. Off. I, 3, 7 *honestumne factu sit an turpe dubitant, id quod in deliberationem cadit.* Hor. Sat. I, 4, 124, *Sive vetabat an hoc inhonestum et inutile factum Necne sit addubites.* Nam poetae ut orationi majorem addant vim atque alacritatem, id quod in plures casus pertinet quasi jam factum sit, cui ergo etiam effectus certe dari possit, proponunt. — Plures circumlocutiones quas apud R. l. c. videbis, proponere supersedemus, quod a sensu per supinum expresso paullo longius recedunt, neque quicquam ad naturam supini illustrandam valent. Nam exempla illa: *difficilis est adeuntibus:* et, *res difficile dijudicatur* possunt illa quidem, immutato tamen sensu, per supinum exprimi, sed qui, utrum hac an illa formula utaris, nihil interesse, dixerit, a vero haud dubie longe aberravit. —

Quibus de usu atque natura supinorum propositis libet paucis de forma eorum fingenda disserere. — Grammaticorum complures linquae graecae analogias secuti supini formam cum formis illis adjectivorum verbalium in -τός, τέος contulerunt, atque ex his supina latinorum derivarunt, eo usque progredientes, ut vel significationem ipsam inde peterent. Cf. Herzog. ad Sall. lat. 36, 4. **). Equidem ut libenter concedo, linquam

---

*) Sic. Heaut. IV. 3, 26. *Rem factu facilem.* Phorm. II. 4, 16. *Turpe inceptu est.* Quid quod postea vidi apud Donatum: *Factum aut inceptum: in aliis, factu aut inceptu fuit.* Bene, quod doctissimus magister vetustam lectionem indicavit. Hoc interest: Si *factum* legis, ad singulare quid respicis; si factu, ad omnia circa nuptias et praeterita et futura.

**) Es scheint ausgemacht, wenn man die Analogie der gr. Sprache zur Norm nimmt, dass den Supinis die Form der Adjectivorum verb. zum Grunde liegt; also wie λεκτὸς so auch lat. lectus. —

latinam cum graeca multis in rebus etiam quod formam externam attinet, mirum in modum convenire, ita hac in re consentire nequeo. Namque notio illa supini, ut docuimus, longe alia est, quam adject. illorum in τός, τέος; quaque via ab hac ad illam transitio fieri possit, equidem non assequor; facilius fortasse a notione infinitivi ad part. pf. pass. transire poteris. Günther l. c. p. 81. Quare cum in lingua graeca forma non adsit, cui hanc possis comparere, ad altiorem linguae lat. fontem procedendum putamus. Hunc in linquis quas vocant oriental. quaerendum esse certe quoad maximam partem, quaestiones et prioribus et his nostris temporibus susceptae, verisimile certe reddiderunt. Cf. Bähr. Histor. lit. Rom. Carlsr. 828. p. 2, 3. *). Jam vero omnes infinitivi Indici, Persici, Sclavici ad radicem verbi *t* addunt, et quidem ling. Ind. *tum*, Pers. *ten*, *Sclav. ti*, immo etiam germanica *ten cf.* Grimm. Deutsche Gramm. Gött. 819. p. 647.

Formae illi linguae indicae supinum latinorum ex omni ratione convenire quis est, quin intelligat. Quae quum ita sint, hanc supini formam infinitivum primarium esse censemus, qui quidem in graeca linqua sibi similem non habent, at non sine causa ad communem illum complurium linquarum fontem, nimirum linguam sanscriticam referri potest, in qua ipsa terminatio *in tum* (ex *tu* et *m*, accusativi signo, conflata) infinitivi accusativum solum indicat **).

Haec terminatio in *tum* radici verborum addita efficit in conjugationibus illis derivatis seu infirmioribus, i. e. prima, secunda, quarta *atum*, *ĭtum*, *itum*; in primaria

*) Um so mehr Berücksichtigung verdient eine Stelle desselben Dionysius von Halicarnass (I. 90. in.) worin er versichert, die römische Sprache sey ein Gemisch von nicht gänzlich barbarischen (Celtischen) aber auch nicht ausgesucht griechischen Lauten, unter diesen aber der äolische Dialect der bedeutendere. — Diese Aeusserung des Dion. in Verbindung mit einigen Denkmählern alter lat. Sprache muss uns um so behutsamer machen, weder die gr. Sprache in den genannten Dialekten, so ausschliessend und vorhersehend auch ihr Einfluss auf die Bildung der lat. Sprache gewesen seyn mag, als den einzigen Grundbestandtheil der lat. Sprache zu betrachten, noch anderseits die lat. Sprache für eine blosse Tochter der Celtischen, Gallischen oder Germanischen zu erklären. Von einem unmittelbar orientalischen Ursprung der lat. Sprache kann jetzt wohl keine Rede mehr seyn, obgleich auch in dieser Sprache Manches vorkömmt, was mit orientalischen Sprachen auf gemeinsamen Ursprung hinzielen kann. ib. p. 3 (8). Andere führten das Lateinische auf einem mit dem Griechischen, Germanischen, Celtischen gemeinsamen Ursprung aus dem orientalischen, zunächst aus dem Sanskrit zurück.

**) Bopp. l. c. p. 43. Gebildet wird der Infinitiv (im Sanskrit) von der gemeinschaftlichen Stammsylbe, durch Anhängung der Sylbe *tu*, und zwischen diese Sylbe und die Wurzel wird gewöhnlich *i* eingeschaltet. Kennzeichen des Accussativ's ist *m*, und daher geht der Infinitiv, der immer als Accusativ steht, auch immer auf *um* aus, als Kar-tum, Stha-tum, Tjak-tum, Tan-i-tum, Vam-i-tum u. s. w.

autem i. e. tertia cujus radix *u* vel consonans esse solet, in consonantibus immutatio illa, quam affinitates literarum reposcunt, fit, ita ut *qu*, *h*, *g* etc. in *c*, b in *p* transeat, *d* autem excidat, aut una cum *t* in *s* abeat. Quae res magis perspicua tibi erit, si inter se contuleris Thiersch. l. c. §. 19. Zumpt. l. c. 40, 154. Rams. l. c. p. 81 — 85. Omnes autem formae, quae ab hac formandi ratione plus minusve recedunt, inde ortas esse credimus, quod sonus aut numerus tale quidquam poscit. Cui formae priori altera cum ea quam casus atque vis poscebat terminatione, nimirum in *tu*, addita est. Qua in re linguam indicam fere easdem leges secutam esse videmus, utpote quae item accusativo supini in *tum* alteram formam, nimirum ablativum instrumentalem supini in *tva* addiderit. Bopp. l. c. p. 43. 114. *).

Participia et perfecti pass. et futuri activi formam supini sequi nemo prudens in dubium vocabit. At alia hic oritur quaestio, num. part. pf. pss., cum passivum sensum obtineat, a supinis, quae mere passivum sensum nequaquam habere supra dictum est, possint descendere. Equidem etsi secundum legem parsimoniae causas rerum sine necessitate non multiplicandas esse existimem: supinum tamen vere participii pf. pss. radicem esse nego, cum transitionem notionis activae in passivam non explicari posse certum sit, cf. Bauer ad. Sanct. Min. I. 162. not. δ. Huc accedit quod supinis carent verba permulta, quibus part. praet. non desint, ut *gavisus*, *solitus*, *mortuus*, *ortus*, *fassus*, *doctus etc.* quare participia haec latinorum participiis illis et linquarum orientalium **) et Germanicae ***) respondere censemus, quibus etiam in linqua graeca adjectiva Verbalia in *τός* et quod adformam et quod ad notionem attinet, similes sunt cf. Butt. §. 92. Neque tamen idcirco derivationem participiorum et praeterit. pass. et fut. act.

*) Ausser dem Infinitiv leite ich ein Gerundium von dem nicht mehr gebräuchlichen Nominative in *tu* ab, ein Gerundium, welches dem lat. in do gleicht, wenn dieses auf die Frage wodurch als Ablativ steht. Die indische Sprache hat für dieses Verhältniss einen eigenen Casus, den Instrumentalis, dessen Kennzeichen bey mehrern Decl. ein langes a ist. Nennwörter weiblichen Geschlechtes der zweyten Decl. die auf *u* ausgehen, verwandeln u vor den Endungen, die mit einem Vocal anfangen in *av*, vor dem *a* des Instrumentalis aber in *v* bloss z. B. Dhaenu, acc. Dhaenum, dat. Dhaenuvae. Instr. Dhaenva. Von Tjaktu, als nomen femininum der zweyten Decl. betrachtet, kennt regelmässig der Acc. Tjaktum, welcher der Inf. der Wurzel Tjak ist; und der Casus Instrumentalis Tjaktva, welches das gesagte Gerundium ist. Vgl. p. 57 u. 114.

**) Bopp. l. c. p. 60. Participien, die eine besondere nähere Bestimmung ausdrücken, ohne dass diese durch eine Flexion der Wurzel angezeigt worden sind. Ein Part. praet. pass., welches durch die Anhängung von *t* aus der Wurzel gebildet wird. Vgl. p. 115.

***) Der Abstammung des particips in turus und des part. pass. in tus von ähnlichen und gleichbedeutenden Participien im Sanskrit ist schon gedacht worden. Vgl. Grimm. l. c. p. 646.

a supino, quoad formam, ex grammatica tollendam esse censemus, utpote qua et memoriae linguam addiscentium optime consultum sit, et error quivis facile sit praecavendus: sed id tantum tironibus semper praecipiendum erit, ne hanc derivationem etiam ad significationem pertinere putent. —

Jam cum ad finem hujus dissertationis perventum sit, etiam hoc inquiremus, unde nomen *supina* acceperint; quam quidem quaestionem erit fortasse qui jam ab initio tractatam esse cupiat? Sed nos ideo eam usque ad finem rejecimus, quod non possumus quin in re accuratius tractanda ad priora saepius recurramus, quare hac via inita brevitati consultum putamus. —

Apud Quinctilianum nomen supinorum nondum occurrit, namque ubi de illis loquitur participialia appellat, *Inst. Orat. I. 4. Nam ut noctu et diu ita dictu et factu. Sunt enim haec quoque verba particip. quidem, non tamen qualia dicto factoque.*

Priscianus ea tamen diserte supina appellat, causamque hujus nominis profert. VII. 9. 49. (ed. Kr. p. 306.) *supina vero nominantur, quia a passivis participiis, quae quidam supina nominaverunt, nascuntur.* Quodsi res etiam ita se haberet, uti Priscianus contendit, tamen haec quam profert ratio quaestionem non modo non solveret, sed etiam augeret, quod Scaliger de caus. ling. lat. VII, 144 (p. m. 376.) recte intellexit, qui dicit: *Nam quod ajunt veteres, id ea causa factum esse, quia a praet. passivis ducta essent, quae praeterita veteres supina appellarint, hoc non solum non solvit quaestionem sed etiam auget.* Sed haec ipsa Prisciani sententia omni ratione plane destituta est. Namque natura rerum, ubi de modo quo orationis partes deriventur sermo est, poscit, ut ab ea, quae tempore prior adesse debet, altera derivetur. Jam vero, ut leges rationis clare evincunt, id quod Priscianus ipse VIII, 12. 66. (Ed. Kr. p. 406.) confitetur, forma activa prior adesse debet, quam passiva, cum agere (actus) prius cogitetur necesse sit, quam agi (passionem) cf. Bauer. ad Sanct. Min. I. 162. Quare haec deductio nominis nullo modo admitti potest, cum supini notio, ut supra docuimus nequaquam mere passiva sit. — Quam derivationem quum Grammatici posteriores non sufficere vidissent, ad aliam quandam confugerunt, non magis prospera uti nos credimus usi fortuna. Sic Voss. Anal. III, 11 et Scal. l. c. nomen supinorum huic orationis parti hac de causa inditum esse contenderunt, quod statum perfectum indicaret, re autem perfecta nobis *supinis* i. e. *otiosis* esse liceret. Quam nominis derivationem duabus de causis admitti non posse putamus. Namque supina per se nequaquam statum perfectum indicant, cum finis ad quem consequendum contendis, mimine pro statu perfecto haberi possit; cui rei etiam hoc accedit, quod circumlocutiones illae, quas protulimus, omnes ad futurum spectant, minime autem ad perfectum. De-

nique ut concedam supini notionem statum perfectum significare, nonne etiam par. pf. eandem notionem servant? Quo poteris explicare, qua de causa nomen hoc his orationis partibus prae ceteris relictum sit, cum multo majori jure ad Part. pf. pass., quibus ereptum est, pertineat. Quare omissis aliis, quae aeque inepte ab aliis Grammaticis propositae sunt, sententiis, unam illam amplectendam esse censemus, quam Bauer. ad Sanct. Min. I, 655 proposuit. Hic supinorum nomen iis inde inditum esse contendit, quod ad alias orationis partes sese reclinent, atque ita vere sint supina. Quam causam ab omni parte sufficere nemo negabit, cum notum sit, omnes omnino orationis partes (praeter eas, quae ut vinculum conjunctioni verborum inserviunt) absolute quodammodo poni posse, has solas autem semper orationis partem aliam ad quam sese reclinent, reposcere, nimirum supinum prius verbum eundi aut movendi, supinum posterius autem adjectivum aut vocabulum quoddam adjectivi vicem gerens.

Haec fere sunt, quae de supinis linguae latinae dicenda habuimus. Fines hujus libri angustiores nos breves esse et saepe satis habere coegerunt, lectores, quamquam rem ulterius persequi optavimus, ad auctores probabiles ammandasse; attamen brevitati ea lege studendum putavimus, ne quid detrimenti argumentorum firmitati atque perspicuitati inde accederet. Quare etsi non ii sumus, qui hac nostra opera certamen illud ad finem perductum esse putemus, tamen rei hucusque obscuriori lucem aliquam quamvis exiguam nos attulisse et optamus et speramus, ita ut et qui docent et qui discunt habeant quo utantur. Quod nos assecutos esse si aequus rerum aestimator concesserit, a fine, quem nobis proposuimus, non ex omni parte nos aberrasse, neque operam frustra suscepisse profitebimur. —

Schüler-Verzeichniss nach den Fortgangs-Plätzen.

Vierte oder Ober-Gymnasial-Classe

war für dieses Studienjahr unbesetzt.

Dritte Gymnasial-Classe.

Classlehrer: Dr. Franz v. Paula Hocheder, k. Rector und Professor des neuen Gymnasium.

Lehrer für Religion: Herr Professor Michael Permaneder.

Lehrer der Mathematik: Herr Philipp Weidner, Professor der Mathematik des Gymnasium und Präfect im k. Erziehungs-Institute für Studierende.

Anzahl: a) der Inscribirten 37; b) der am Schlusse des Jahres noch Vorhandenen 34.

**1. Victor Deutter, 16 J. 10½ M. alt, von Landshut*), Zögl. d. k. Erz. Institut.
**2. Wilhelm Quante, 17 J. 7 M. alt, von Kempten, Zögl. d. k. Erzieh. Institutes.
**3. Maximilian Bar. v. Laſsberg, 16 J. 9½ M. alt, von Salzburg, k. Edelknabe.
**4. Ludwig Schwaiger, 17 J. 7½ M. alt, von Wolfrathshausen, Z. d. k. E. Inst.
**5. Rainerius Lamberger, 18 J. 8 M. alt, von Ebrach im Ober-Mainkreise.
*6. Karl Baron v. Aretin, 16 J. 4 M. alt, von München, k. Edelknabe.
*6. Matthäus Peller, 18 J. 11 M. alt, von Menning im Regenkreise.
*8. Heinrich Fischer, 16 J. 6 M. alt, von Landsberg, Z. d. k. E. Inst.
9. Johann Treiber, 18 J. 9 M. alt, von Schönsee im Regenkreise.
10. Elias Albert, 17 J. alt, von München.
11. Georg Baron v. Stengel, 16 J. 5 M. alt, von München.
12. Friedrich Hacker, 18 J. 1 M. alt, von München.
12. Joseph Andreas Riedl, 17 J. 8 M. alt, von München.
12. Ludwig Graf v. Spaur, 19 J. 1 M. alt, von Innsbruck, Z. d. k. E. Inst.
15. Joseph Gerhardinger, 18 J. 11 M. alt, von Dingolfing.
16. Friedrich Schuster, 18 J. 3 M. alt, von Tettau im Ober-Mainkreise.
17. Joh. Baptist Baron v. Pechmann, 17 J. 4 M. alt, von Würzburg.

*) Alle nicht näher bezeichneten Ortschaften liegen im Isarkreise; bekannte Städte sind durch ihre blosse Benennung bestimmt.

18. Matthias Pirkl, 17 J. 9 M. alt, von Erding.
19. Georg Winklmayer, 19 J. 4 M. alt, von Nunhausen.
20. Maximilian Arnold, 19 J. 5 M. alt, von München, Z. d. k. E. Inst.
21. Philipp Mayer, 21 J. 10 M. alt, von Rosenheim.
22. Joseph Lorenz, 19 J. 5 M. alt, von Augsburg, Z. d. k. E. Inst.
23. Georg Walser, 23 J. 3 M. alt, von Kreuzthal im Ober-Donaukreise.
24. Joh. Baptist Mayr, 19 J. 6 M. alt, von München.
25. Joseph Lang, 17 J. 6 M. alt, von Reuti in Tyrol.
26. Napoleon Hauner, 18 J. 10 M. alt, von Neumarkt an der Rott.
27. Andreas Ruchti, 20 J. 9 M. alt, von Stein im Ober-Donaukreise.
28. Karl Dosch, 20 J. 7 M. alt, von München.
29. Georg Kummer, 19 J. alt, von Augsburg.
30. Daniel Nufs A. C., 21 J. 6 M. alt, von Ingenheim im Rheinkreise.
31. Karl Wilhelm Schaller 18 J. 9 M. alt, von Nürnberg.
32. Alfred Leeb, 19 J. 6 M. alt, von München.
— Marquard Wintrich, 18 J. 2 M. alt, von Vöcklabruck im Innv., Z. d. k. E. Inst.
— Karl Kornacher A. C., 18 J. 6 M. alt, von Oettingen im Rezatkreise.

Anmerk. In allen Classen erhalten die mit ** bezeichneten Schüler Preise-Bücher mit Preise-Diplomen; die mit * Accessit-Diplome.

Marquard Wintrich, ein vorzüglich fleissiger und wohlgesitteter Schüler, konnte wegen einer das ganze zweyte Semester andauernden Krankheit nicht in die allgemeine Fortgangs-Berechnung aufgenommen werden. Im Winterhalbjahre behauptete er unter 36 Schülern den 9ten Platz.

A. Karl Kornacher trat erst nach dem Anfange des Sommer-Halbjahres ein; auch war dieser kurze Besuch sehr unterbrochen. Er gehört dem lezten Drittheile an.

Ferners wurden durch Krankheit von mehreren Wochen in ihren Studien bedeutend gehindert: Quante, Bar. v. Pechmann und Nufs; besonders aber Hacker.

Zweyte Gymnasial-Classe.

Classlehrer: Herr Professor Sebastian Freudensprung.

Anzahl: *a)* der inscribirten Schüler 44; *b)* der am Schlusse des Jahres noch vorhandenen 38.

**1. Maximilian Jacubezky, 15 J. 9 M. alt, von München.
**2. Otto Wild, 16 J. 8 M. alt, von Stoffenried im Ober-Donaukreise, Zögling des k. Erziehungs-Institutes.
**3. Karl Theodor Senestréy, 15 J. 3 M. alt, von Bernau im Obermainkreise.
**4. Maximilian Baron v. Branca, 16 J. 5 M. alt, von Ansbach, k. Edelknabe.
**4. Reinhart Baron v. Freyberg, 16 J. 4 M. alt, von Ansbach, k. Edelknabe.
*6. Ignaz Schmitt, 16 J. 8 M. alt, von München.

*7. Otto Seel, 15 J. 1 M. alt, von Kempten.
*8. Joh. Bapt. Listmayer, 17 J. 2 M. alt, von Grofshaarbach im Unter-Donaukr.
9. Joseph Zantl, 15 J. 10 M. alt, von Tölz.
10. Peter v. Gemünden, 15 J. 9 M. alt, von München.
11. Alois Stort, 17 J. 3 M. alt, von München.
12. Karl Primbs, 16 J. 6 M. alt, von Miesbach, Zögl. d. k. E. Instit.
13. Heinrich Bürgel, 15 J. alt, von Salzburg, Zögl. d. k. E. Instit.
14. Franz Christoph, 16 J. 11 M. alt, von Landsberg.
15. Karl Rübel, 16 J. alt, von Bamberg, Zögl. d. k. E. Instit.
16. Karl Grabner, 17 J. alt, von Feldkirch im Vorarlberg.
17. Franz Huber, 15 J. 10 M. alt, von Reichenhall, Zögl. d. k. E. Inst.
18. Joseph Aufschläger, 15 J. 10 M. alt, von München.
19. Karl Rainer v. Schallern A. C., 17 J. 3 M. alt, von Baireuth, Z. d. k. E. Inst.
20. Alois Eggler, 18 J. 1 M. alt, von Greiling.
20. Johann Pachmayer, 16 J. 4 M. alt, von Pörnbach, Zögl. d. k. E. Instit.
22. Ludwig Doblinger, 14 J. 10 M. alt, von München.
23. Heinrich Brunner A. C., 18 J. 10 M. alt, von Ansbach.
24. Jakob Wilhelm, 18 J. 2 M. alt, von Landshut.
25. Ludwig Capeller, 19 J. 5 M. alt, von Straubing, Zögl. d. k. E. Instit.
26. Karl v. Menz, 16 J. 11 M. alt, von Haag im Innviertel, Zögl. d. k. E. Instit.
